12

De
TELONIO AFFECTATO
Cuiusdam PATRIAE Amantis
Diſſertatio.

ANNO

M. DC. XXXVII.

Autor huj. Scripti est Jo. Ern. Schröer Praecos. Ged.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum præter ſpem noſtram, aliqui & Ordine & Prudentiâ ſublimes, Telonium in portu Gedanenſi etiamnum expetere & probare videantur, colligere inde licuit, eos, aut arduis occupationibus præpeditos, graviſſimum diſſvadentium argumentorum pondus nondum ſatis expendiſſe, aut paſſos eſſe, vanis contradicentium argutiis, intentæ conſiderationis trutinam ſibi nimis turbari. Viſum itaq; operæ precium, denuò præcipuarum rationum noſtrarum lumen ſuccinctè proferri, ſimulq; frivolarum objectionum nebulas, veraci ſolutionum aurâ diſcuti. Hæ autem rationes noſtræ hoc diſcrimine promi commodè poterunt, ut probetur, primò Telonium eſſe iniquum; deindè eſſe Reipubl. nocivum; ac deniq; cum maximâ difficultate & majori periculo conjunctum.

Telonium Iuribus adverſum.

Iniquitas illa propriâ luce patebit, quando tot Iurium, Privilegiorum, Pactorum, Pollicitationum, veterum & recentium, quot ſubjicimus, formalia verba, telonia partim â Terris Pruſsiæ, partim â Civitate Gedaneń. expreſsè removentia, percepta fuerint. Iſtorum verò privilegiorum omnium primum jam Terris

Digitized by Google

Pruſsiæ datum eſt ab Hermanno à Salza, Ordinis Theutonici Magiſtro, paulò poſt Pruſſiam Equitibus his conceſſam, Anno 1233. & quoniam incendio Culmen: periit, ab Eberhardo de Seina, Vicesgerente Generalis Magiſtri per Pruſſiam & Livoniam, reſtitutum Anno 1251. quo abſolvitur Terra prædicta ab omni penitus telonii exactione.

Priv. Culmenſ.

Iur. Munic. Ter. Pr. p. 10.

Schutzius lib. 4 mihi pag. 143. 144.

Quæ paucula verba tantum roboris habuere, ut jam tùm ſub duriſſimo Crucigerorum Dominatu, Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ acriter reſtiterint, ne Telonium maritimum Pfundtzoll *dictum, quia de mercibus transmarinis juxta libram Flandricam, uſitatum tunc temporis in illis commerciis exoticis pecuniæ genus exigebatur, quod Magiſtri Ordinis valdè propugnabant, ſubſiſteret.*

Pr. Duc. Pr. pag. 4. b. pag. 10.

Quò reſpexit Vladislaus Iagellonides in pace An. 1404. cum Conrado de Iungingen, & cum Paulo de Rusdorf Anno 1436. factâ, ſollicitè cavens ne commercia novis teloniis turbarentur. Vt & Reges ſubſequentes, quando pacta perpetuæ pâcis inierunt: Caſimirus quidem cum Ludovico de Erlichhauſen Anno 1466. Sigiſmundus I. cum Alberto Duce Anno 1525. Quorum illa Caſimiri hæc habent verba: Quoniam per Mercatorum induſtriam & rerum venalium importationem, Reſp. notabile conſvevit accipere incrementum, ſtatuendo decernimus ac ſpondemus, quod nulla telonia, depoſita, gabellas, foralia ſivè

Priv. Prus. Duc. pag. 24. b.

Pacta perpetuæ pacis.

vè

vè quaſcunq; alias cenſvationes locis & perſonis in Regno noſtro Principatibus, & dominiis *(quibus jam comprehendebantur juxta partitionem Terrarum Pruſſiæ in iisdem pactis præmiſſam, Pomeranica & Gdansk)* noſtris & Regni noſtri imponemus de novo, aus imponi permittemus tàm in Terris, quàm in aquis, ſed tantum modo utemur impoſitis. Qvod idẽ Dominus Magiſter Ludovicus--- *(lineola hæc brevitatis cauſsâ quædam omiſſa ſignat, verum ſenſum haud mutantia)* in terris Pruſsiæ ſuis obſervabit. *Poſteriora verò pacta Sigiſmundi Primi habent iſta:* Nulla telonia, depoſitiones & alia gravamina in Terris Pruſſiæ contra antiquam conſvetudinem & Privilegia ab ulla partium inſtitui debent: ſed vetera telonia permanere. Si autem ab alterutra partium à tempore Transactionis Regis Caſimiri telonia eſſent inſtituta, ea quoq; hinc inde abrogari debent. *Et in hujus Conventionis Renovatione Anni 1529. conceditur,* Liber tranſitus & via omnibus mercatoribus cum ſuis mercantiis & frumentis ſine impedimento & angariâ, per terras, maria, aquas & flumina &c. *Sic Reges veteres nunquam cum Magiſtris pacti ſunt, quin terris Pruſſiæ, non ſuis modò, ſed & illis, quæ adhuc ſub jugo Crucigerorum detinebantur, de huic Regioni competente vetuſtiſſimâ immunitate â teloniis, ſolicitâ cautione pater nè proſpicerent.* *Quem clementiſſimum animum avitum erga*

Priv. Pru. Duc. pag. 35.

Priv. Prus. Duc. p. 41. b.

 fide-

fideles ſubditos in ſuccedentibus Regibus planè in contrarium mutari potuiſſe, â nemine nobis perſuaderi patiemur.

Præ cæteris verò hunc adfectum priſtinum An. 1454. exeruit D. Caſimirus inſigni illo Privilegio Incorporationis, quo Boruſſos libertatis â teloniis, quam jam ſub Tyrannico Dominatu juris ſui competentis authoritate (ut ex primis verbis quæ mox citabuntur, apparebit,) obtinuerant, certos penitus & in perpetuum ſecuros reddere voluit. Sic enim hoc Privilegium habet: Silentio tegere non poſſumus injuriam Magiſtri & Ordinis Pruſſiæ in exigendâ â Mercatoribus ſubditisq; noſtris, Daciâ Pfundtzoll quæ licet ex fœdere exigi â Noſtris Transmarinisq; mercatoribus non debebat, ſi Pruſſiæ Mercatores ab illâ ſolvi quoquomodo contigiſſet: continuata tamen fuit pluribus annis hujusmodi in Noſtris Transmarinisq; mercatoribus exactio, Pruſſiæ mercatoribus illius obtinentibus in notabili parte relaxationem. *Ac paulo poſt*: Ut autem noſtræ liberalitatis, æquitatis & Iuſtitiæ dextram ſentiant in univerſos & quemlibet eorum effuſam, & in mutatione Principum commutatam etiam & ſublatam deprehendant oppreſſionem, daciam, quæ in vulgari Pfundtzoll dicitur (quales oppreſſiones â priorum regentium tyrannide illatas, *Privilegium in ingreſſu commemorat* ac ideò Boruſſos tàm ſuperbo ac avaro, quàm injuſto imperio

Privilegium Incorporationis.
Jur. Mun. Ter. Pruſ. pag. 16.
Pag. 19.
Pag. 12.

rio

tio renunciaſſe) item alia omnia telonia in aquis & terrâ, novâ aut antiquâ obſervantiâ in Terris duntaxat prædictis Pruſſiæ quomodolibet conſtituta: Item in Terrâ Pomeraniæ exactionem ſive Daciam, quæ Porcus, aliàs Narzasz veteri inſtitutione Ducum Poloniæ vocabatur, Regiâ munificentiâ tollimus, abrogamus, deponimus, ac ſolutionem eorum perpetuis temporibus reſolvimus, dimittimus & relaxamus; nullo unquam tempore, per nos aut Succeſſores noſtros Poloniæ Reges, ex quacunq; cauſâ aut occaſione inſtituendam aut imponendam.

Quam immunitatem conceſſam aliud inſuper Caſimiri privilegium Anno 1476. datum repetit his verbis: Ab omnibus etiam oneribus ac daciis, quibuscunq; appellentur nominibus, quas Magiſtro & Ordini de bonis eorum dare cogebantur, ipſos liberamus. Priv. de Jure Culmen. Jus. Mun. Ter. Pr. p. 34.

Quid iſtis plenius, quid clarius dici poteſt. Huic perſpicuæ univerſalitati invidi Commentatores, qui ſibi jam in his talibus officium â conſveto diverſum ſumunt, non ut eruant Veritatem, ſed ut involvant atq; occultent, libenter aliquid detraherent, dũ aſſeverant, iſtã Clauſulã Generalem Privilegii Incorporationis, quæ utrumq; elementum, in quo exactores conſiſtere poſſent, ſingulari cautelã exprimit, non comprehendere mare: acſi aliud quid mare conſtitueret, quàm aqua: cum tamen ſcriptu-

ra

Geneſ. 1. v. 10.
Matth. 14. v. 25. & ſeq.

ra teſtetur, DEUM congregationes aquarum vocâſſe maria: At ſi maximè hoc ſuæ ſubtilitati indulgeri vellent, diceremus, verbis Privilegii diſtinctè ſublata eſſe primò telonia in aquis & terrâ omnia, ac deinde, præter hæc ſeorſim, Daciam Pfundtzoll *quam de mercibus transmarinis eſſe ſumptam ex verbis privilegii ſuprà citatis, ac primâ hujus exactionis origine, ut tuta præſtaretur navigatio; ſicq; à telonio ſivè ſubſidio marino, quod nunc expetitur, nihil penitus differre, liquidò conſtat. Undè & hoc & omnia in univerſum telonia ſive in Mari, ſive in Continente inſtituenda, Caſimirum in perpetuum removiſſe, neceſſariâ argumentatione evincitur. Sed vim huic Privilegio inſuper addit majorem, quòd cauſam ipſi præbuerit, non nuda benignitas & munificentia Regis, ſed præcipuè, ob benevolam & ſpontaneam deditionem (de quâ in illo ipſo Privilegio) reciprocus mutuæ conventionis nexus; quo Pruſſia ſubjectionem ſic obtulit, ut iſta, quæ hoc Privilegio dantur, â novo Principe viciſſim reciperet. Quod reciproca Sponſio non obſcurè detegit, dum Incolæ terrarum Pruſſiæ ſubmiſſionis ſuæ debitum hiſce profitentur.* Suæ Majeſtati in ſuum Regalem thronum, ſolium, ditionem & poteſtatem terras Pruſſiæ & quaſcunq; alias annexas, in terrâ & mari conſiſtentes, perſonas noſtras, caſtra res & fortunas noſtras, quæ hactenus in noſtra poteſtate ſunt & in futurum erunt dedimus & ſubjecimus; & præſentibus voluntariè

Schutzius lib. 5. p. 92.

Jur. Mun. Ter. Prus. pag. 17.

Reciproca Sponſio.
Jur. Mun. Ter. Prus. pag. 28.

damus

damus perpetuò & ſubijcimus---Promittentes pro Nobis, Hæredibus & Succeſſoribus noſtris, ſub fide & honore ac onere, per Nos præſtiti Juramenti, quod præfato Illuſtriſſimo Principi, D. Caſimiro Poloniæ Regi, & ejus Succeſſoribus Regibus Poloniæ, velut fideles & ſubjecti, quemadmodum cæteri ejusdem Regni Incolæ parebimus, auſcultabimus & obediemus, fideliter & conſtanter, perpetuò ac in ævum: Juribus noſtris ſemper ſalvis. *Quæ ſanè Iura ſunt ea ipſa, quæ recenſentur, ac viceverſâ promittuntur in privilegio Incorporationis, ut pote Admiſſio ad ElectionemRegum; Conſervatio in Iuribus, libertatibus, & privilegiis priſtinis; Immunitas à teloniis, Cauſæ notabiles cum communi Conſiliariorum Pruſſiæ conſilio definiendæ, & ſi quæ ſunt alia.* pag. 19.

Iſtud mutuæ obligationis vinculum Sigiſmundus I. nequaquam diſſimulat, quando in literis ſuis Cracoviæ ad Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ *An 1530. & 1537. ac prioribus quidem è Conventu Generali datis, apertè præfatur.* Univerſos Status & Ordines earundem Terrarum & Civitatum Pruſſiæ, ad ſervandum Juramentum ſuum, quod Majeſtati Suæ *(intelligit Filium Sigiſmundum Auguſtum)* præſtiterunt, non fore adſtrictos & obligatos, donec Filius juramentum ſuum non præſtiterit, ſe omnia jura, libertates & privilegia, literas, immunitatesvè tàm Eccleſiaſticas quàm Seculares---Nobilibus, Civibus Incolis &

ReſcriptaSigiſ. I. de Filio Sig. Aug.

Jur. Mun. Ter. Pruſ p. 53. 54.

qui-

Digitized by Google

quibuslibet perſonis cujuscunq; ſtatus & conditionis exiſtentibus --- manutenere, ſervare, cuſtodire & attendere velle, in omnibus conditionibus & punctis: *Et in literis poſterioribus addit*: Neminem prædictorum ſubditorum FilioRegi parere debere nec fore obnoxiũ fidei imperioq; ipſius, niſi prius ipſis univerſa jura, privilegia, libertates --- diplomate ſuo Regio confirmaverit, & pro viribus ſuis, juxta tenorem earundem in executionem poſuerit. *Quæ omnia ferè iisdem ac totidem verbis Sigiſmundus Auguſtus ipſe acceptavit literis Anno 1537. ad Status & Ordd: ſcriptis. Iuramentum verò poſtea â ſe præſtitum, Terris Pruſſiæ quoq; applicavit, diſertâ declaratione Anno 1549. eo nomine editâ.*

Jur. Mun. Ter. Prus. pag. 56.

Jur. Mun. Ter. Prus. pag. 81. 82.

pag. 83.

Ac ſuperioribus illis Privilegiis ſequentes Reges ſuæ Confirmationis robur quoq; addidere: Illis quidem Magiſtri Ordinis, quæ primo loco exhibuimus, Caſimirus: at ſequentibus Caſimiri, Iohannes Albertus, & Sigiſmundus Primus.

Jur. Mun. Ter. Prus. pag. 36. 37. Pag. 48. 49.

Atq; hæc ſunt Iura & Privilegia Pruſſiæ univerſalia, quæ vel ſola ad amovendum novum iſtud telonium abundè ſufficerent. Sed habet inſuper Civitas Gedanen. quam negotium ob portum vicinum propiùs afficit, ſua Privilegia peculiaria.

Privilegium Gedanenſe de Teloniis.

Et quidem ab eodem Caſimiro Rege obtentum An. 1457. quo promittitur & conceditur, quod nulla nova telonia aut onera, neq; in Viſtulâ neq; in terrâ omnia

mnibus venturis temporibus conſtitui,& ipſis(Gedanenſibus) imponi debeant, prout Privilegium Principale Cracoviæ Terris & Civitatibus Terrarum Pruſſiæ, datum, continet & exprimit.

Huic quoq; Privilegio ſubſequentes Reges omnes ſolennibus ſuis Confirmationibus approbationis calculum addidêre.

Præ cæteris pleniſſimè Anno 1585. D. Stephanus REX notiſſimo iſto Privilegio, quod Tractatuum Portorij nomine communiter venit. Id his verbis totum telonei negotium & modum exactè definit. Decernimus volumusq; ut Portorium id exigant more inſtitutòq; priſtino Civitatis, tres Conſules & duo Scribæ, qui eo, quo hactenus fieri conſvevit modo, à Senatu eligentur & conſtituentur---Volumus autem & conſentimus, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris ut æſtimatio exigendi de mercibus portorii, pro valoris conditione, penes Senatum, more hactenus conſveto permaneat. Nec ſupra binumalem auctionem, Portorium vel ex noſtra vel ex Civitatis parte ullà ratione ampliùs augebimus, nec Succeſſores noſtri augebunt. Immunitates quoq;, quibus proventus Portorii diminuantur, Nos & Succeſſores noſtri nemini dabimus, neq; noſtrarum mercium nomine & colore quemquam Portorium illud eludere vel intervertere permittemus. Ut præterea in loco conſveto intra Civita-

Tractatus Portorii cum Stephano Rege.

tem & non alibi Portorium conjunctim percipiatur, & ibidem rationes nautarum & mercatorum, de navibus, bonis & mercibus eorum ineantur & conferantur.

Hæc & alia Iura ac Privilegia Civitatis omnia Anno 1588. D. Sigiſmundus III. auguſtæ memoriæ & quidem Tractatus portorij per Diploma peculiare, cui Sigillum Majeſtatis appenſum, confirmavit clauſulis firmiſſimis.

Nemo verò Regum omnium, firmioribus ac gravioribus, quàm Sac. Reg. Majeſtas Dominus Noſter Clementiſſimus, qui nunc rerum potitur; dum in Confirmationis Privilegio Anno 1633. in Comitiis Inaugurationis die 10. Martij dato, arcem Iurium & libertatis noſtræ hiſce novis propugnaculis Regiis munit: Nos cognitam & perſpectam habentes ſingularem præfatæ Civitatis fidem, conſtantiam, integritatem, ſynceritatemq;, & præclara benemerendi ſtudia Prædeceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, & imprimis Divo Parenti noſtro, totiq; Reip. nuperis belli motibus egregiè comprobata: volentes omninò talem illius virtutem & merita gratiâ noſtrâ Regiâ compenſare, & quæ ad ornamentum & incrementum ejus ſpectare videntur, clementer promovere, omnia & ſingula Civitatis noſtræ Gedanen. jura, privilegia, indulta, libertates, prærogativas, immunitates, & receptas conſvetudines, Eccleſiaſticas

Confirm. Priv. Vladislai IIII.

& ſe-

Digitized by Google

& ſeculares, ſub quibuscunq; verborum tenoribus & modis, per Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros, Reges, Principes, Duces, Magiſtros, quocunq; tempore conceſſa, data & emanata, & datas, conceſſas, emanatas atq; obſervatas; nominatim etiam Tractatum Portorii, ſive Conventionem cum Sereniſs. olim Stephano Rege, ratione Portorii initã, & quævis alia munimenta, antiqua ac recentia, donationes item, inſcriptiones, cautiones, & literas qualescunq; ſeorſim vel cum aliis conjunctim obtentas, quorum & quarum tenores hîc haberi volumus pro inſertis & expreſſis, in omnibus ſuis punctis, capitulis, articulis, clauſulis, conditionibus & contentis, confirmanda, roboranda, ſtabilienda, ratificanda, & confirmandas, roborandas, ſtabiliendas, ratificandas duximus, & decrevimus; prout vigore præſentium confirmamus, roboramus, ſtabilimus, ratificamus, & de certâ ſcientiâ noſtrâ approbamus & renovamus, illaq; & illas perpetuæ, veræ, indubiæ inviolabilis firmitatis robur obtinere debere ſtatuimus, & ſub Juramento Regio, in felici Coronatione corporaliter præſtito ſanctè pollicemur, quo videlicet uti Terras Pruſſiæ, ſic etiam Civit: noſtram Gedanen: ita comprehenſam eſſe volumus & declaramus, ut omnia Terrarum Pruſſiæ Civitatisq; Gedanen: Privilegia ſarta tecta remaneant: omniaq; eâdem obligatione & tàm fir-

 mi-

miter, quàm aliis Statibus & Ordinibus Regni Poloniæ Nos conſervaturos recipimus. Promittentes cuncta illa ſuperiùs memorata, præfatæ Civitati quomodolibet ſervientia, quibuscunq; dicantur nominibus, nullatenus infringere, labefactare aut imminuere, quin potiùs conſtanter, illæsè & inconcuſsè tenere & obſervare, teneriq; & obſervari facere, temporibus perpetuò duraturis. Et ſi quis defectus intervenerit, quominus quicquam eorum hactenus impletum fuerit in toto vel in parte, vel ſi quid intermiſſum ſit, id in poſterum redintegrare, emendare, & realiter ac cum effectu adimplere; ita ut omnia incommoda, abuſus & difficultates, quæ contra prædicta jura ac privilegia quoquomodo irrepſerunt, illis nec præjudicare, vel ullâ ratione obeſſe debeant; nec contrariis reſcriptis aut conceſſionibus quomodocunq; impetratis vel impetrandis, iisdem directè vel indirectè derogari poſſit, quæ, quasvè pro injuſtis, illegitimis, ac nullis ſemper haberi, nec vim ullam vel validitatem eis attribui volumus, & Confirmationis hujus authoritate definimus.

Nimis evidens & perſpicua eſt horum Privilegiorum diſpoſitio, & tantâ luctâ propoſito Teloniario adverſa, quantâ aqua Igni. Vnde Promotores illius hic potiſſimum palæſtram ſibi ponunt, in quâ omnes ingenii ſui nervos intendant. Ius Regium, inquiunt, directum

ctum Maris dominium infert; at iſtud, liberrimam poteſtatem telonia pro libitu imperandi. Gedanenſibus verò Ordinatio Carnicoviana Anni 1570. omnem poteſtatem in portu ac mari adimit. Nos ſanè Regis Noſtri Dominium, hoc eſt, Ius ſublimitatis in Portu, qui oſtium fluminis & proximam maris alluentis partem complectitur, ſubmiſsè agnoſcimus: non tamen ideò jus Gubernationis ac regiminis, antiquitùs Civitati conceſſum, quô ſine ullâ interruptione aut impedimento ad hoc usq; tempus Civitas pacificè uſa, extinctum arbitramur. Perindè ut reliquarum rerum & perſonarum hujus Regni omnium, ſublimi ſummæ Poteſtatis reſpectu, REX noſter aptè Dominus diceretur, nec tamen idcircò cuiquam jus poſſeſſionis libertatisvè competens adimeretur. Vt ita Directum illud Dominium (quod ſemper habent in ore) Sublimitatis, & Vtile quod Directo in Iure ſubordinatur adminiſtrationis ſe invicem minimè tollant, ſed ſimul ſubſiſtere convenienti harmoniâ Politicâ commodiſſimè poſſint.

Privilegia Gedanen. de jure navigationis.

Weſemb. Parat. li. 41 tit. 1. §. 4. Vultejus de Feudis lib. 1. cap. 10. §. 18.

Illud verò Portûs & navigationis regimen competit Civitati Gedaneñ. jam à primo Incorporationis tempore, firmatum hâc ſupràcitati Privilegii Caſimiriani An. 1457. obtenti, conceſſione pleniſſimâ. Conferimus & damus prædictis PræConſulibus, Conſulibus, Scabinis & toti Communitati ex peculari gratiâ Regiâ & favore plenam poteſtatem & facultatem omnes & ſingulas Navigationes, cum omnibus litoribus ma-

maris, Terrarum noſtrarum Pruſſiæ regendi, inſtituendi & gubernandi, & omnes velificationes (*quæ, cum Navigatione, Maris eſt, ut defluitatio Viſtulæ*) injungendi & prohibendi, cum noſtro conſilio, ſcitu & voluntate, aut noſtri Locumtenentis in abſentiâ noſtrâ --- Et de omni Jure aquatico, bonis naufragis & mercaturis, qualescunq; eſſe poſſint, judicandi, dirimendi & determinandi -- Et omnia litora & portus maris noſtrorum Dominiorum Terrarum Pruſſiæ ſine ullius impedimento, contra omnes pyratas, latrones, fures & maleficos in aquâ & litore conſervandi, adminiſtrandi, & judicandi. *Iſthæc ſuprà memoratum Privilegium D. Stephani, quod Tractatus Portorii vocant, ita repetit:* Volumus etiam, ſancimus & promittimus, Nos & Succeſſores noſtros Civitatem in Jure maritimo, quæq; illi affinia ſunt, quæ Civitati competunt, perpetuò conſervaturos, eamq; in rem Privilegium Divi Caſimiri Regis & anteceſſoris noſtri, datum in eâdem Civitate noſtra Gedanenſ. Dominicâ Cantate An. 1457. quod de facultate navigationis & litora regendi, adminiſtrandi, navigationem aperiendi & claudendi, cum noſtro tamen conſenſu & voluntate exprimit & diſponit, authoritate noſtrâ Regiâ, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris confirmamus, renovamus, corroboramus, ac jubemus & ſancimus, ut ſecundum iſtius Privilegii tenorem, Civitas in ejus

ju-

juris plena & pacificâ poſſeſſione & uſu uti hacte-nus fuit, deinceps etiam absq; aliquo præjudicio vel impedimento, perpetuis temporibus relinquatur & conſervetur.

Magna hæc eſſe, quæ hiſce Privilegiis nobis conferuntur, fortè Invidi noſtri dicent. At hæc & iſtis ſimilia nobis eſſe conceſſa haud mirabuntur, quando in animis ſuis memoriã renovabunt jam (proh dolor!) penitus extinctam, meritorum noſtrorum veterum, quæ in bellis, per aliquot annos pro conjunctione Pruſſiæ cum Regno Poloniæ, animosè geſtis, ad ſtuporem usq; emicuiſſe. Rex ipſe Caſimirus in Privilegiorum ingreſſibus, & Hiſtorici paſſim commemorant. Non itaq; gratis, ſed pro hâc animorum propenſione & fortitudine avorum noſtrorum hæc Civitati Gedaneñ. tunc temporis cum adhuc præmia eſſent in uſu, ſunt collocata, quæ ipſi invidere illi non debe-rent, qui ejus Virtutem Regno profuiſſe, negare minimè poterunt. Verum & his veteribus & recentibus rejectis, pergunt Oſores noſtri in cæptis, & dicunt, Poteſtatem illam Civitatis in nauticis penitus eſſe ſublatam, Anno 1570. Ordinatione Carnicovianâ. At nos ſolidiore fundamento regerimus, Ordinationem Carnicovianam Anno 1585. ſublatam, Tractatibus Portorii, his nempè verbis. Nos totâ iſthæc cauſâ diligenter examinatâ & perpenſâ, volumus, ne quid inpoſterum de Commiſſione à D. Sigiſmundo Auguſto in Civitatem Gedaneñ. miſſâ, quæſtionis vel contro-

In Priv. de pecunia ſubſidiariâ Petricov. dato Anno 1455. In Priv. primario dato Elbingæ A. 1454. Cromerus li. 24. mihi pag. 522 & 526. 535. 538. lib. 25. pag. 543. Schutzius paſſim lib. 5. pag. 198. b. 203. b lib. 6. pag. 261. b. 284. b.

Caſſatio Commiſſionis Carnicovianæ.

Digitized by Google

verſiæ relinquatur: ſed ut Civitas in jure & ſtatu ſuo, quô antea fuerat, deinceps etiam permaneat, nec ut vigore iſtarum actionum & conſtitutionum Commiſſorialium quicquam de ſtatu Civitatis immutetur, ac proinde pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris, Civit. Noſtram Gedanen. & omnes ejus Ordd. & Cives realiter & effectualiter ab iſtâ totâ Commiſſione, & omnibus ejus attinentiis ac gravaminibus clementiſſimè relevamus, & liberamus, conſtituentes & decernentes authoritate Noſtrâ Regiâ, ne quid illorum, quæ in Civitatis præjudicium, contumeliam ac damnum acta, geſta, conſtituta ſunt, ullo--- unquam tempore, nec Magiſtratûs nec Civium honori, exiſtimationi, Civitatis etiam juribus, Privilegiis & probatis conſvetudinibus, quoquomodo obeſſe, nocere, derogare vel præjudicare poſſit aut debeat.

Hæc caſſatio & alia plurima in hoc D. Stephani Privilegio perſpicuè cauta, quia non ſunt ad guſtum noſtrorum Adverſariorum; authoritatem ejusdem ſummâ vi & conamine oppugnant; aſſerentes non acceſſiſſe Confirmationem Comitialem, *atq; adeo* Privilegii *iſtius promiſſiones ſolum obſtringere Stephanum, Succeſſoribus, qui Diadema non à* Prædeceſſore, *ſed ab Electione caperent, nequaquam obligatis.*

Nos in hoc unico ſaltem paritatem Tractatuum Porterii, *&* Conſtitutionis *Carnicovianæ agnoſcimus, quod æquè*

æquè hujus, ac illius, Confirmatio non inveniatur in volumine legum. Cæterùm in reliquis omnibus inſigni prærogativâ Tractatus à Conſtitutione hac differunt. Quippe illorũ proximus autor eſt REX Stephanus; hujus Carnicovius. Hanc ab iſto & Collegis pro arbitrio conſcriptam & Curiæ eſſe oblatam, Commentarii Ianuſſevii referunt: illos in Senatu Regni eſſe expenſos, & manu Cancellarii Oratoribus Gedaneń. publicè traditos, ipſa Metrica teſtatur. Huic ne minimum quidem Regni Sigillum eſt additum: illi Sigillo Majeſtatis, quod ſaltem rebus ſummi momenti adhibetur, ſunt roborati. Hujus nulla particula effectum Gedani unquam obtinuit; hi jam per annos 52. pro ſacroſanctis ſemper ſunt habiti. Collatio hæc evidenter detegit, utrùm huic Ordinationi Carnicovii plus ponderis tribuendum, an iſti Privilegio Regis Stephani, quod in Comitiis Regni Generalibus eſſe datum, ipſius Diploma, & diligens quidam rerum Polonicarum Scriptor aſſeverat, tùm & numerus adſcriptorum Senatorum præſentium ſatis arguit. Nec neceſſaria hujus argumentationis concluſio eſt, non fuiſſe eo anno Comitia, quia non extent in volumine Conſtitutionum. Quippè Anno 1552. Petricoviæ Contributiones eſſe ſcitas, commemorat Bielſcius, & ipſæ Conſtitutiones aliorum annorum faciunt mentionem Comitiorum, quæ habita Anno 1605. & 1606. At in volumine Conſtitutionum Comitia omnium iſtorum annorum deſiderantur. Hæc ſanè omnia, nec non D. Sigiſmundi III. per totam

Vide Tract. Portorii §. ac primo quidem.

Neugebauer pag. 750.

Pag. 546. Conſtitut. pag. 850. 903. 905.

 glo-

Digitized by Google

glorioſiſſimâ vitam, attenta horum Tractatuum obſervatio, & tàm iſtius, quàm moderni Regis repetita aliquoties expreſſa confirmatio, plenam perpetuamq́ authoritatem huic Privilegio addunt; Ex quo cum ſemper recepta ſit auctio binumalis, quæ jam aliquot Milliones reditibus Regiis adjecit, valdè abſonum eſſet, quæ ex iſta Conventione viciſſim Civitati deberentur, eidem denegari. Sed agmen horum jurium Telonium repellentium claudere poterit Transactio Anno 1636. 5. Februarij cum Sac: Reg: Majeſtate hoc nomine inita, quæ ſic habet.

Transactio cum VLADISLAO QVARTO de Telonio.

Poſtquam Ordines Civitatis Gedanen:---petiiſſent, ut benignam temporis præſentis, conditionisq; ſuæ ac immunitatis cùm Terris Pruſſiæ, tum Civit: Gedanen: ſpecialiter competentis, rationem habere dignaremur, neq; novis exactionibus in portu Gedanen. quemquam aggravari, ſed plenè recuperatæ pacis fructu omnes gaudere permitteremus. Proinde Nos, qui nihil magis, quàm fidelium ſubditorum ſalutem & utilitatem Regiâ Clementiâ promovere, omniaq; jura ac privilegia integra & illæſa permanere cupimus, deſideriis præfatæ Civitatis Gedanen. ob inſignem fidei conſtantiam & meritorum univerſæ Reip. præſtitorum gratam recordationem, haud gravatim voluntatem Noſtram accommodandam, & â vectigalis ejusmodi exactione ſuperſedendum duximus; nec non uberioris gratiæ teſtimonio eandem ad perpetua be-

benè merendi obſequia alacriorem reddere volentes, Jura & Privilegia, libertateſq; ejus, tùm & Pacta Portorii, juxta Confirmationem in Comitiis Coronationis noſtræ ſolenniter factam, deinceps & conſervanda & confirmanda duximus, prout conſervamus & confirmamus.

Quæ firmior certiorvè iſta aſſecuratione & conventione Regiâ expeti poſſet? præſertim cum, quod vigore illius à parte noſtra debebatur, immenſa ſumma, à pluribus privatis tum mutuò efflagitata, & nec dum reſtituta, quantam nunqvam à primis Urbis primordiis Gedanum ſimul erogavit, è veſtigio ſoluta & aſſignata ſit: ſicq; obligationi noſtræ, in ſolenni hâc ſtipulatione reciprocâ pleniſſimè ſatisfactum. Cujus quidem *pecuniæ ſolutionem, non quod Iurium firmitas, quæ ex ſuperioribus abundè elucet, deficeret, ſed ut humilimæ accommodationis ſtudio, renitentiæ acerbitatem apud Regem ſuum leniret, Civitas pacta erat. Animadvertunt vim hujus Defenſionis noſtri Invidi, atq; adeò diverſis Objectionum telis acriter eandem impetunt. Simpliciores dicunt, tantùm in biennium, cujus in initio Reverſalium fit mentio, fuiſſe contractum. Sed hæc antehac inaudita pecuniæ quantitas, quam pro ſolâ dilatione exiguâ mali expendere, verè inſanum eſſet, & Dominorum* Commiſſariorum *candor quoq;, uti confidimus, ſufficienter refutabit. Accuratiores verò aſſerunt, Regem de tantis rebus Regalia decernentibus, tranſige-*

re

re non potuiſſe. His reſpondemus, Regem haud immunitatem à teloniis, quæ antea Civitati firmiſſimo Iure competebat, eâ Transactione nobis dediſſe; ſed tantum moleſtationem eo nomine remiſiſſe; quam ſubire, jura noſtra uti par erat, defenſuri, cum offenſa fortè Regiâ nolebamus. Reliqui ſinceriores fatentur, Regem ob hanc Transactionem telonium poſcere nunquam poſſe, poſſe autem Rempublicam. Verùm nec Rempublicam poſſe, iſti concedere cogentur, cum expreſſam eorundem remiſſionem in tot antiquiſſimis Privilegiis expenderint, ſimulq; in memoriam ſibi revocaverint, quod iſtorum Regum, qui ideo ſe Dominos & Hæredes in Diplomatis publicis nominabant, ſumma fuerit poteſtas; quorum voluntas & Ordinatio, Rempublicam, ſeparatas rationes à Rege tùm non habentem, præſertim adhibitis Senatoribus, quorum præſentia in Privilegiis ſemper commemoratur, ſimul includebat. Nam ſi priſca illa Privilegia vim pactorum habentia ſaltem ad Regem reſtringerentur, Incorporatio quoq; & quæ huic annexa, pariter cum Rege terminarentur, & tempore Interregni deſinerent: quæ aſſertio & abſurda & periculoſa foret. Vndè colligitur æquè illis, quæ Terris Pruſſiæ per hæc privilegia ſunt data, ac iſtis, quæ à Terris hiſce Regnum obtinuit, conformi lance continuationem & perpetuitatem tribuendam.

Sic omnes iſtæ objectiones, & reliquæ, quas à nobis alieni adferre poſſent, facili negotio removeri queunt, ut

tan-

tandem maneant tot tantaq́ jura integra ac immota. Quorum ſingula cum immunitatem hanc ſufficienter inferre poſſent, junctim omnia negligi certè nequeunt, niſi quis unâ opera fidem omnem diplomatum publicorum, Sigillorum Regni, Subſcriptionum Regiarum, ac conventionum, ſtipulationum & pactorum uſum, imò Ius Gentium ipſum, ac deniq́ Iurisjurandi tremendam religionem, penitus tollere velit; ſicq́ eam notam politiſſimo ac celeberrimo Regno adſpergere, quam nulla Gens, licet inter barbaras infima, non averſatur.

Telonium Reipublicæ & Nobilitati damnoſum.

Hæc ſanè argumenta validiſſima ab Æquo & Iuſto ducta ſufficere & præponderare deberent. Verùm apud quosdam lanx utilitatis, quam dum publicam dicunt, ſatis comptam & exornatam putant, illam alteram elevare videtur. Ex iſtis teloniis, inquiunt, ſumma ingens conflari poteſt, quæ ſola ſufficit omnibus neceſſitatibus Reip; & contributionibus agrariis plebem exhauſtam penitus liberare poterit. Hoc opus tàm bonum fore prædicant, ut DEo gratiùs excogitari poſſe pernegent. Sed falluntur imaginariâ pietate; quippe longè majorem munditiem requirunt, quæ Deo tantoperè placere debent: qui nec à Davide, cui aliàs ſublime hoc teſtimonium perhibet, quod eum invenerit ſecundum cor ſuum, qui factu- Act.13.v.22.

rus

1. Paralip. 22. ℣. 8. rus ſit omnes voluntates ejus, ſic Domum ædificari permiſit, hac ſola de cauſa, quia vir militaris, ſanguinem fuderat. Quomodo ergò quadraret ad normam Iuſtitiæ Divinæ, quæ DEUS ipſe eſt, ſi tolleres onus ab adſvetis, qui id per leges ferre tenentur, & imponeres illis, qui nunquam tulêre, & contra id validiſſimis Iuribus ſunt muniti? Siccine Ius ſuum cuiq; tribueres, & neminem læderes? Non ſunt mihi crede, eum in finem facienda mala, ut bona indè proveniant, ſed licitis mediis ad laudabilem finem tendendum. Quippe aliàs benedictio Divina apparentem utilitatem deſerit. Quales ſucceſſus damnoſi vel ipſos Ethnicos docuerunt, nihil eſſe utile, quod ſimul non ſit honeſtum. Non enim procedit argumentatio: Hoc in publicum utile: ergò faciendum: nam idem medius Terminus pariter inferret, reditus Beneficiorum Eccleſiaſticorum & Capitaneatuum quoq; Ærario publico eſſe applicandos. Quod uti ob acquiſitum Ius poſſidentium & graves rationes alias eſſet iniquiſſimum, ſic & novum inventum telonii propter cauſas easdem & ſimiles æquè graves.

Paul. in epiſt. ad Rom. 3. ℣. 8.

Sed propiùs ad rem accedentes, probabimus deſiderati telonii exactionem, non ſolum Reipubl. non eſſe utilem, ſed etiam cùm Politico tùm Oeconomico detrimento inſigniter damnoſam.

Politicè nocebit, quia nuperæ illius teloniariæ Conſtitutionis (ſi ita nominanda) executio, veterem & conſvetum condendarum legum modum interverteret, &

aureum

aureum illud Libertatis Polonæ *fundamentum;* **Nicná nas bez nas/** *penitùs convelleret. Ejus enim præcipua firmitas in eo ſita, quod Conſtitutio fieri debeat conſenſu omnium, in quos fertur, quodq́; diſſenſus ac contradictio, uti hîc plurium Palatinatuum, & totius Conventûs Terrarum Pruſſiæ expreſsè & ſolenniter intervenit, promulgationem novæ legis impediat. Si verò authoritas legis huic ordinationi inordinatæ adderetur, & executio vigore illius cæpta, continuaretur; ſimulq́; leges ritè latas extra Comitia abrogare (ut in ſignatione pannorum Civitati Gedaneń. præmii loco datâ, factum) liceret, actum foret de Fundamento prædicto, nec jam Comitiis aut legibus opus eſſet. Quod quanto detrimento Reip. fieret, expendent illi, quos hæc res propiùs afficit.*

Alexan. Radom. An. 1505. In Herb. p. 110. Sign. III. Vaſſav. Ann. 1588. Conſtit. pag. 457. Vladisl. IIII. A. 1643.

Sed Oeconomicè quoq́; Telonium hoc obfuturum & facultatibus reditibusq́; privatis maximum damnum eſſe illatum, certum eſt. Nam licet ejusdem Promotores pro inſenſibili diminutione id venditent, & tali extenuatione credulos ineſcare annitantur; tamen inſtitutum ac propoſitum ſuum avidiſſimum, jam in primordio, quod in iſtis minùs gratis ſemper lenitatis blandimento adornari conſvevit, Exactor ſtatim prodit, dum pro tribus & dimidio de centenis, qui modeſtè poſcebantur, jam 8. 10. & 15. extorquet, nempè merces ultra pretium æſtimando; Thaleris recipiendis valorem ſexta parte diminutum imponendo, pro ſcribâ, pro cerâ, pro navi, pro anchoris, pro malo, & tantùm non pro malâ re, juſſu plus

quàm

Digitized by Google

quàm dictatorio auctarium poſcendo. Vndè haud difficile eſt prævidere, quàm intolerabilem progreſsûs licentiam immoderatum hoc principium minetur: cùm notum ſit, duo hæc vitia novis plerumq; teloniis ineſſe, ut modica degenerent in maxima, temporanea in perpetua. Quinimò jam nunc computatio damnum ſatis magnum deteget: Nam ſi Nobilis quiſpiam hûc advexerit 100. laſtas ſiliginis, quarum ſingulas juxta priſtinum liberæ negotiationis ſtatum vendere fortè poſſet 150. florenis, toti ſummæ pro omni frumento recipiendæ florenorum 15000, ſi ſaltem Spiringius decem decerperet de centenis, illicò decederent floreni 1500, & tantumdem aut plus mercibus, quas Nobilis domum revehi curabit, atq; adeò ſi tota pecunia in merces coëmendas hîc eſſet eroganda, in 100. laſtis frumenti trium millium florenorum jacturam ob novum hoc telonium faceret. Sic hic Parochus Generalis ex Hollandiâ, totam Poloniam egregiè decimabit: quippe vendendis in precium deceſſurum, ac contrà emendis acceſſurum, quantum de utriſq; in portu exigetur, è conſvetâ mercatorum ſolertia quivis facilè auguratur.

Hoc quidem damnum, quod apertum & eveſtigiò incipiet, fœcunditate ſuâ paulatim creſcens, non mediocriter rem familiarem Nobilitatis afficiet. At alterum ſubtiliùs ſimul & pernicioſius quod ex intervallo demum ſeſe exeret, hoc quo diccimus modo ſenſim naſcetur, & tandem intenſâ calamitatis mole correctionis remedium excludet: Mercatores peregrini incipient ſtatim faſtidire inſveta & intollerabilia portuum noſtrorum onera, ac

eos

Digitized by Google

eos paulatim deſerentes alios quærent, qui negotiationem minùs ſervilem & magis fructuoſam, Telonio majorem lucri partem non intercipiente, præſtabunt: quales aſtuti in viciniâ Principes, ut alliciant, occaſionem minimè negligentes, ſpontè aperient. Nec Moſcovitæ, majori rei frumentariæ & mercium ſylveſtrium ſtudio, hanc opportunitatem negligent. Sic neceſſariò minuetur tandem apud nos commercantium numerus, & exemplo Viſmariæ, Visbi & aliarum mercaturæ frequentiâ olim celeberrimarum Civitatum, Emporia concident. Quæ res primum Promotores Telonii ſcopo ſuo fruſtrabit, dum reditus & opima ſalaria Exactorum, nec non conſuetæ Penſionis aulicæ, exiguum facient reliquum, quod in Ærarium publicum inferatur; ſicq; ingruente aliquâ neceſſitate, ad priſca media Agrariarum neceſſariò recurretur. Tum ſanè ſtupebunt illi, qui ſibi â mutatione hâc montes auri promittebant, & ſerò conquerentur, non remota eſſe onera, ſed duplicata, & Nobilitatem iis ferundis plebi fœdè eſſe exæquatam. Deindè ob paucitatem ementium, merces omnes Nobilitatis, penitus vileſcent, & vix decimam partem, precii veteris, vendenti ſuppeditabunt, neceſſaria verò omnia tantò cariùs præſtabunt, quanta rarior erit, deficiente mercaturâ, rerum exoticarum per portum invectio. Cujus rei evidens argumentum proximum bellum Svecicum nobis exhibuit Thorunii, quando tranſitu Gedanum verſus occluſo, ob emptorum paucitatem & frumenti copiam laſta una ſiliginis 25. florenis vendebatur, aut unico vaſe halecum

Digitized by Google

permutabatur, quæ paulò pòſt fluminis uſu per pactas inducias reddito, Gedani 250 florenos venditori offerrebat. Nec eſt, quod objicias, hos portus ea ſubminiſtrare Exteris, quibus carere nequeant, quippe idem bellum præteritum demonſtravit, quod Belgarum induſtria ex alio loco iſta quærere ſciat, qui unus deneget: dum ingentem frumenti vim ex Moſcoviâ ſibi advexêre, longinquitatem navigationis teloniorum tàm Danicorum quàm Spiringianorum evitatione penſantes, ac præter ea ſal nitrū à nobis denegatum per tot vaſta maria ex Indiâ, ab illo altero Orbe, copiosè apportârunt.

Hæc mala, cauſarum connexio tàm perſpicuâ certitudine minatur, ut perſvaſum habeamus, rerum, quæ nunc inter mortales geruntur, & mercaturæ mediocriter ſaltem gnaros, magnitudinem damnorum tàm publicorum quàm privatorum, quæ ex telonio promanare neceſſe eſt, agnituros, & nequaquam paſſuros eſſe, faſcino utilitatis publicæ, quô Promotores negotii plurimos in ſuas traxêre partes, ſibi amplius imponi.

Telonei exactio difficilis & periculoſa.

Vltimum reſtat, ut itidem probetur Telonii exactionem ſenſuram maximæ difficultatis remoram, & pericula quoq; non levia motuum novorum indè timenda. Quod illum haud negaturum puto, qui negotium trutinâ accuratiori penſitans, conſiderabit, quod hæc res non

tan-

tantum Civitates Pruſſiæ, ſed & omnes, qui ab immemoriali tempore hic negociantur, intelligo Gallos, Anglos, Belgas, Danos, Civitates Anſeaticas reliquas, & cæteros maris Balthici accolas, non mediocriter afficiat. Iſti nunc Ius liberæ negotiationis aliquot ſeculorum continuatione partum, illicò ſibi adimi, & inſvetâ ac inauditâ, apud reliquas gentes angariâ naves ſuas in mari, cujus uſum naturali jure communem eſſe leges aſſerunt, onerari non tàm facilè patientur: cum jam Anno 1421. Henricum Reüſs, Magiſtrum Ordinis Teuthonici à ſimili incepto deſiſtere conſpicuæ legationis importunitate coëgerint; Sveci verò præter iſta & Pactorum Stumsdorfianorum obligationem prætendent, in quibus quoniam quintus articulus expreſſè jubet, Vectigalia in eum redigi ſtatum & in illud Ius, in quo erant ante bellum, ſervatâ in omnibus æqualitate, uti antea fuit; *hocq́ inter conditiones annotatum, quibus arma ſunt â finibus noſtris ſummota, non immeritò timemus recidivam, remedio malè adhibito aut ſublato.*

l.2.ff. de diviſione rerum Inſt. lib. 1. §. & quidem naturali jure.
Schutz lib. 3. pag. mihi 112.113.

Art. 5. Pactorum Stumsdorfian.

Atq́ hæc unica cauſa fuit, cur munitionem in ripâ Viſtulæ Occidentali, conſenſu Olivenſium antehac erectâ citra ullum eorumdem præjudicium, juxta mentem Reverſalium à nobis datarum, reficiendam duxerimus; nec non ſtationem aliquam militum, levi quodam ipſorum receptaculo tumultariâ paucorum dierum congeſtione addito, in ejuſdem fluminis Capite, à quo in præterito bello tot infeſtationum hoſtilium defluxiones in nos emanarunt, collocaverimus, ut nimirum non noſtræ ſolum, ſed totius

Re-

Digitized by Google

Regni ſecuritati conſuleremus: quamquam malevolos noſtros in peſſimam oſtentatæ ferociæ partem, malignâ ſuâ interpretatione id rapere, ſummo noſtro cum dolore intelligimus. Qui certè & hoc conſilium (conſcientiam noſtram teſtamur) & illud alterum de ſiſtenda negotiatione, cujus ceſſatiò magis nos ob incommoditatem, quæ indè redundat ad Nobilitatem, quàm ob propria Civium noſtrorum damna, afficit, admodùm inviti, nullâ aliâ cauſâ, quâ ſolicito majoris mali metu, inducti ſuſcepimus. Nam ab Illuſtriſſimis Reip. Commiſſariis peculari ſcripturâ noſtrâ promittere & cavere juſſi ſumus, Nos toto hoc Induciarum tempore non permiſſuros, ut ex portu noſtro hoſtile quicquam Seren. Reginæ ac Succeſſoribus, Regno Sveciæ, ſubjectisq; ditionibus ac provinciis inferretur directè aut indirectè, neq; Nos ipſos contra tenorem pactorum publicorum illaturos, ſed promiſſam ſecuritatem præſtituros eſſe. *Undè Sveci, ſi fortè Telonium, uti pactis Inducialibus, quibus hoſtilitas ſuſpenſa, adverſum, pro actu hoſtili arripere vellent, conniventiam quoq; noſtram ad violationem Cautionis datæ, torquere facilè poſſent: prout Primariorum iſtius Nationis literæ nuper ad quosdam privatos datæ, haud obſcura iſtius rei indicia exhibent. Idcircò Nos ipſa adegit neceſſitas, ut detrimenta & pericula longè maxima, quæ hinc erant timenda, evidentiâ diſſenſûs noſtri, maturè à Civitate hac removere anniteremur: ne denuò Nobis cùm à Svecis, tùm ab aliis, qui aſſeverare poſſent, ſuâ intereſſe, negotiationem conſervari libe-*

Cautio Gedanen. Svecis data.

Digitized by Google

liberam, eſſet expectandum, quòd ob naves Regias, apud Danum præter omnem culpam, aut noxiam noſtram ferendum fuit; qui damno centum millia flor. ſuperante in mercibus ereptis, Cives noſtros affecit, & etiam num Naves Gedaneñ: ſolas, duplicis Vectigalis infamiâ, ob offenſionem iſtam imaginariam mulctat, nec ab hoc ſuo rigore, ullis aut noſtris aut ipſius Reg. Majeſtatis excuſationibus, quæ & per literas & per Legatos hoc in negotio omnia fecit ſedulò, ad hoc usq; tempus dimoveri potuit.

Sic certè durum telum neceſſitas hæc expreſſit, quæ vel ſola nos illis excuſare deberet, qui Portũ contra voluntatem Regis, haud fuiſſe claudendum opinantur. Cui ratio altera addenda, quod ipſum Ius Naturale, vel in Brutis conſpicuum ſtimulet, ad poſſeſſionem, imprimis tantis iuribus, & tam diuturna duratione firmatam, quovis modo conſervandam. Quam ſi illicò deſeruiſſemus, Pruſſia tota de nobis conqueri potuiſſet, non tàm noſtrum, quam Ius omnium à nobis ſolis eſſe labefactatum, & nos Iuramenti de ſedula ac conſtanti conſervatione Iurium, more majorum præſtiti, impiè fuiſſe immemores. Nam quòd pleno poſſeſſionis teloniariæ uſu ſemel conceſſo, irrita ac ſera fuiſſet ſubſequens Iurium deductio, etiam ſimpliciſſimi intelligunt.

Graviſſimas has cauſas eorum, quæ neceſſariò fuerunt agenda, ac humilem noſtram modeſtiam in omittendo, quæ agere potuiſſemus, confidimus Illuſtriſſimos Regni Proceres, ac totam Nobilitatem benignæ conſiderationis oculis adſpecturos, & gratioſa ſua interventione ac

pre-

precibus apud Sac. R. Majeſtatem Dominum Noſtrum Clementiſs. (cujus ad pedes proſtrati cum lacrijmis idem petimus) effecturos, ne Sac. R. Majeſtas ſubditos ſuos, qui nova privilegia ac præmia obſequio, fide ac virtute ſuâ à Regiâ Clementiâ promereri ſemper ſtudebunt, dum vetera amittere nollent, inter publicas conſtantiæ laudes, innocenter perire velit. Quod Civitas Gedaneñ: eò faciliùs ſe impetraturam ſperat, quò evidentiùs demonſtratum exiſtimat, quòd nova iſta Exactio, propter quam infelix Gedanum hanc afflictionem ſubit, non ſolum Æquitati & Iuribus ſit adverſa, ſed etiam Regno & Nobilitati damnoſa, & maximis difficultatibus periculisq; obnoxia. Propter quam ita comparatam, Vrbem, quæ in ipſo fervore belli, armis Guſtavi, qui tot Provincias terruit domuitq;, inconcuſſa perſtitit, nunc in media pace aviditatis ac invidiæ telis debere obrui, nimis acerbum foret; & ad gloriam Auguſtiſſimi Regni apud exteras Gentes augendam, ad calcar quoq; ſimilis animoſæ Conſtantiæ, in recurrentibus adverſitatibus Reipub. aliis addendum, parum conducibile aut opportunum.

Digitized by Google